



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] peccet quis mortaliter negando veritatem, per quam
condemnaretur? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Utrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur?

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur. Dicit enim Chrysostr.³⁸ Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque apud alium accuses. Sed si veritatem confiteretur in iudicio accusatus, seipsum proderet, & accusaret. Non ergo tenetur veritatem dicere: & ita non peccat mortaliter, si in iudicio mentiat.

¶ 2 Præterea, Sicut mendacium officiosum est, quando aliquis mentitur, ut alium à morte liberet: ita mendacium officiosum esse videtur, quando aliquis mentitur, ut se liberet à morte: quia plus sibi renetur, quàm alteri. Mendacium autem officiosum, non ponitur esse peccatum mortale, sed veniale. Ergo si accusatus veritatem in iudicio neget, ut se à morte liberet, non peccat mortaliter.

¶ 3 Præterea, Omne peccatum mortale est contra charitatem, ut supra* dictum est. Sed quòd accusatus mentiat, excusando se à peccato sibi imposito, non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi. Ergo huiusmodi mendacium non est peccatum mortale.

SED contra, Omne quod est contrariù diuinæ gloriæ, est peccatum mortale: quia ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere, ut patet primæ ad Corinthios decimo. Sed quòd reus id quod contra se est, confiteatur, pertinet ad gloriam Dei: ut patet per illud quod Iosue dixit ad Acham, Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris: ne abscondas: ut habetur Iosue 7. Ergo mentiri ad excusandum peccatum, est peccatum mortale.

RESPONDEO dicendum, quòd quicumque facit contra debitum iustitiæ, mortaliter peccat, sicut supra* dictum

dictum est. Pertinet autem ad debitum iustitiæ, quòd aliquis obediat suo superiori in his, ad quæ ius prælationis se extendit. Iudex autem, ut supra * dictum est, superior est respectu eius qui iudicatur. Et idè ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere; quam ab eo secundum formam iuris exigit. Et idè si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negauerit, mortaliter peccat. Si vero iudex hoc exquirat, quod non potest, secundum ordinem iuris non tenetur ei accusatus respondere. Sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere: mendacium tamen dicere non licet.

Ad primum ergo dicendum, quòd quando aliquis secundum ordinem iuris à iudice interrogatur, non ipse se prodit: sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.

Ad secundum dicendum, quòd mentiri ad liberandum aliquem à morte, cū iniuria alterius, non est mendacium simpliciter officiosum, sed habet aliquid de pernicioso admixtum. Cum autem aliquis mentitur in iudicio ad excusationem sui, iniuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet; scilicet confessionem veritatis.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui mentitur in iudicio, se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cuius est iudicium; & contra dilectionem proximi: tum ex parte iudicis, cui debitum negat: tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat. Vnde & in Psal. 140. dicitur, Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Vbi dicit gloss. Hæc est consuetudo impudencium, ut deprehensi, per aliqua falsa se excusent. Et Greg. 22. * Moral. exponens illud Iob 21. Si abscondi quasi homo peccatum meum: dicit, Vstratum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.

q. 67. a. 1

cap 13. in
prin.